PRAXIS CATECHISTICA,

SEV

FACILES MODI

Quibus paruo cum labore poſſint inſtillari rudibus Articuli Fidei ſcitu neceſſarij.

IN GRATIAM POTISSIMVM
eorum
Qui curam animarum ſuſtinent,
ac eorum
Qui pijs ad Miniſteria ſpiritualia Miſſionibus detinentur.

PER R. P. HIERONYMVM NIERADZKI
Societatis IESV Sacerdotem
EVVLGATI.

Anno Domini, 1661.

CRACOVIÆ,
In Officina Ioan. Pauli Cæſari, S. R. M. & Illuſtr. ac Rndiſ: Epiſc. Crac. Typogr.

FACVLTAS
R. P. Gaſparis Druzbicki, V. Prouinci lis Societatis IESV in Polonia.

CVm Tractatum hunc inſcriptum PRAXIS CATECHISTICA a P. Hieronymo Nieradzki noſtræ Societatis compoſitum, aliqui de eadem Societate lectum edi poſſe in lucem cenſuerint, concedo facultatem edendi illum, ſi ita ijs ad quos pertinet videbitur. Dedi Varſauiæ 24 Iunij. 1661.

Gaſpar Drużbicki.

APPROBATIO.

PRaxis Catechiſtica conſcripta à Rȳdo Admodum P. Hieronymo Nieradzki Societatis IESV Preſbytero, cum nihil contineat Catholicæ Fidei & bonis moribus contrarium, & Paſtoribus ac Directoribus animarum pro informanda in rebus Fidei rudiori Chriſtiana plebe plurimum ſit vtilis imò & neceſſaria, permitto, vt publici iuris fiat, typiſq; mandetur. 18. Auguſti Anno Domini, 1661.

Hyacinthus Liberius S. T. D.
Præpoſitus SS. Corporis Chriſti Librorum in Diœceſi Cra. Cenſor.

STRISSIMO

EVERENDISSIMO

PRINCIPI,

D. CASIMIRO FLORIANO

Duci in Klevan

CZARTORYSKI,

EPISCOPO VLADISLAVIENSI ET POMERANIÆ.

Domino & Patrono benignissimo

S. P.

VLgarem minusq́; tersam in obtutu Tuo dignioribus assueto coloribus propono paginam Illme ac Reuerendissime Princeps. Eam tamen quæ licet tenuitatis suæ sit conscia, viliorisq; rationis & orationis apparatu prodeat adornata, à conspectu Tuæ Celsitudinis, quia Vrbano comitatisq; auitæ pleno non se patitur auocari. Nouit in Te Principum ideoq; Vicinum Deo genium, cuius Diuinissimus prius in animum, quam dantis munera ferri consueuit ocu-

lus, vnde Euangelicæ illius pauperis viduæ æra minuta duo, gratiora maioribus accepit diuitum donarijs. Simili equidem voluntatis propensione hæc opera minuta in Tuæ Sapientiæ publico Collegij Romani, Seueri illius Scientiarum Tribunalis calculo approbata demitti gestit gazophylacium. Offerant alij grandes, aureasq; ingeniorum suorum lucubrationes, gaudeo. Ego vero rudera ad erudiendum vulgus eruta, Tuæ Celsitudini è paupere doctrinæ penu porrigere nequaquam pudori esse censui. Scio Heroum humanitatis id esse, vt domesticorum suorum, qualem me Tuæ Celsitudinis superiorum effecit nutus minusculis, etiam parato ad maiora animo oblatis delectari soleant munusculis. Neq; immerito Tuo Gentilitio Equiti in SERENIssimis IAGELLONIBVS primoribus Tuis, Regum sanguine purpurato Praxis hæc Catechistica ire aut currere obuiam contendit: Vt nimirum qui ab hostium persecutione vel propulsione dicitur vulgari idiomate POGONIA, ignorantiam fidei, satis infensum Catholicæ politiæ hostem ex animis propellant humanis. Scuto fidei cruce duplici insignito optime præmunitus, gladioq; semper ad ictum extento armatus, loco saltem pugionis Praxes Catechisticas assumet vibrabitq; contra fidei inimicam inertiam. Addidit quoq; animos eisdem Praxibus, vt ad Tuæ Celsitudinis Patrocinium ausu liberiore recurrerent: Cum enim se-

cu-

inaa ex eis, secundo sane euentu ad vsum in fine rmonis Ecclesiastici deducta auribus Tuæ Celsitudinis innotuit, ita ab auribus ad interiorem penetrauit animi gustum. Te \& talem Patronum inuenit, vt per Diœceseos Tuæ Prouincias illam vsurpari mandato Tuo decreueris. Reliquæ tali gratia succensæ pia reuera æmulatione laborantes, nondum quidem Tuæ Celsitudini eo temporis propalatæ, de simili tamen beneficio sibi persuasæ nequaquam poterant contineri, quin sub Pastorale nominis Tui asylum refugerent, ad illiusq; saltem vmbram aduolutæ æqualem expectarent gratiam. Quod dum illæ sperant, omnem simul Diuinitus affundi Tuæ Celsitudini benedictionem, si quid valent authoris sui vota exoptant. Id vouet & precatur Smarzeuicijs 27. Iulij. 1661.

Illustrissimæ & Reuerendissimæ
Celsitudinis Tuæ minimus in
Christo seruus

Hieronymus Nieradzki
Soc: Iesv.

AD LECTOREM.

POtissimum munus esse Societatis IESV Catechisticam promouere doctrinam clare patet ex Instituto illius, voto speciali, & cura singulari circa eandem edocendam, Obligationi huic vt etiam à me pro modulo satisfiat, modos paucos propagandæ notitiæ articulorũ fidei propono. Expectabas forte à me Catechistici zelator profectus, vberrimam aliquam materiem huius Doctrinæ: At non fuit mentis meæ hac opella illam tibi subministrare, cum satis tuo desiderio fecerit Pædagogi liber, ob vtilitatẽ & æstimationem sui toties prælo subiectus. Nec pauciores prodidit eiusdem Seminis Catechistici flores Hortus Pastorũ, quos si inter rudes sparseris, facile current in odorem illorũ. Neq; omnino peregrini ad hoc propositũ tibi accersendi libri, etiam domi Catechismus ex Reformationibus Szyszkouianis, iterum Anno 1660. Illustrissimi ac Reuerendissimi Præsulis Cracouiensis Andreæ Trzebicki, vel ex hoc in multis alijs titulo Pastoris optime de suo grege prouidi mandato editus sufficientem huic muneri adstruet congeriem. Insuper quorsum ego tibi offeram ampliorem rerum docendarum, & in Catechismo dicendarũ apparatum, si ea quæ sunt de necessitate nondum edocuisti? vel si illorũ tradendorum ratione destitutus es? aut illam adhibere negligis? Attuli itaq; aliquas praxes, exilem fructũ ex missionibus ad ministeria spiritualia decerptũ, vt pro opportunitate conuenientiores & efficaciores eligantur. Non ambigo similes aut meliores à te sciri, adduco has tamen non efformandæ sed confirmandæ tuæ Scientiæ gratia. Tu eo quo porrectæ sunt animo accipe & vtere.

PROŒMIVM

Motiua doctrinæ Christianæ quædam proponens.

QVantum hominibus Christianum nomen profitentibus conducat, nosse principales Articulos fidei hinc vel maximè patet, quod ex ignorantia eorum vincibili, culpa mortalis, & quæ inde sequitur pœna æternæ damnationis proueniat, vt communis fert sensus Theologorum. Sed esto huic inscientiæ nullum discrimen subesset salutis, alienum equidem à recta ratione videri deberet Christianum appellari. Quid vero sit Christus? in quo consistat Christianismus? quæ illius sint Cardinalia mysteria ignorare. Et tamen (quod dolendum est) in luce Euangelij talibus & tantis obruti tenebris hominum rudiorum reperiuntur animi, vt parum à feris Syluestribus distare videantur; possintque ideo non paucis accomodati illa Dauidis verba Ps. 72. ab eo quidem alio sensu prolata; vt Iumentum factus sum. Si plurium difficiliorumue numerus articulorum congereretur, atque sciri exigeretur, vtiq; aliquis esset excusationi locus; Quia tamen pauca sunt quæ vel necessitate medij, vel necessitate præcepti explicitè credi postulant, eo magis detestanda & à Deo punienda debet æstimari imperitia. Aptè hic Chrysostomus aurea proferat verba Homil. 26. in Epist. ad Romanos Erit, Erit inquit quando & ignorantiæ pænas dabimus. Quod si ea ignoraueris quæ sciri non pos-

sunt præter culpam erit, si verò quæ scitu & possibilia sunt & facilia extremas pænas meritò dabis. Hæc ille. Innititur eius sententia terribili Diuini spiritus edicto *Isaiæ* 5.13. vbi inter cæteras inscitiæ pænas ait. Populus meus quia non habuit scientiā, propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suū; absq; vllo termino, & descendent fortes eius & populus, & sublimes, gloriosiq; eius ad eum. Quibus verbis inuolui videmur Sacerdotes in hoc munere negligentes. Gloriosi enim & Reuerendi eandem admittunt significationem. Huius verò tantæ ignorantiæ præcipua basis ac veluti fundamentum est, vel Fidei instillandæ neglectus, vel quod praxes faciles illius edocendæ non occurrant. Nolo ego hoc loco deducere, rationibus probare, quanta sit obligatio ijs quibus ex officio incumbit, quantaq; & negligentibus culpa, si non tradant dogmata Fidei scitu necessaria, quisq; suæ conscientiæ sit scrutator & Iudex, præsertim cum facile ad manumq; haberi possit & debeat, quid de hac obligatione sentiant Theologi, quam serio contra negligentes in munere hæc docendi æternum supplicium decernant, quomodo à Concilio Tridentino ad id muneris vrgeantur. Illud potiùs motiuum adduco negotium & curam hanc zelumq; rudes erudiendi esse grauissimi apud Deum valoris ac maximi meriti. Nam si inter opera misericordiæ censetur docere ignorantem, quæ deterior ignorantia inueniri potest, quam nescire ea quæ salutis sunt. 4. Quæ verò maior crudelitas, magisq; opposita misericordiæ ac caritati, quam permittere in via salutis errare

eum,

eum, quem ad terminum æternitatis manu velut ducere teneris. Crudelitas hæc longe ſuperat quorumlibet ſæuitiem Tyrannorum in corpora; non in animas vires Tyrannidis ſuæ exerentium. Nec iniuriâ miſericordiæ titulum denegandum eſſe rudes non erudientibus, ex ſapientiſſimo Eccleſiaſtici principio concludes, quod Cap. 18. habetur. Qui miſericordiam (inquit) habet, docet & erudit quaſi paſtor gregem ſuum, ergo ſi non docet neque erudit miſericordiam non habet. Quantopere verò æſtimetur ab ipſo Chriſto hæc ſalutaris rudium eruditio optimè demonſtratum eſt ab eodem in ſuo ad terram aduentu. Dum enim in orbem hunc ex Beatiſsimo vteri virginei ſacrario Saluator prodijt. Putaſnè fidem ſeu notitiam ſui inuenit. *a.* Minime. Mundus eum tenebris ignorantiæ inuolutus non cognouit, Catechiſtarum hic opera deſiderabatur. Itaq; Angelis munus Catechiſticū demandat Chriſtus, vt ab illis rudes pecorum cuſtodes edoceantur. Quis ſit natus? & cui? ſcilicet natus eſt vobis Saluator mundi qui eſt Chriſtus Dominus: *Luc. 2.* Nec dubito à paſtoribus hanc doctrinam poſtea ad alios emanaſſe, quaſi iam illi futurorum fuerint typus Eccleſiæ Paſtorum. At quod in ipſo Chriſti aduentu nondum Chriſtus noſceretur, non adeo vtique mirum eſt, nimirum nouus hoſpes erat à longe veniens, nouus incola terræ. A ſummo Cælo Egreſſio eius: *Pſal.* 18. Mirandum hoc potiùs multiſq; deplorandum lachrymis, quod cum in noſtræ Poloniæ finibus Chriſti incolatus ſeptingentis prope annis prolongatus ſit, tanto enim tempore fidei

Christianæ lumen iam ante illatum, in Principibus Polonis saltem splendidiùs eluxit. Et tamen quis sit natus pro salute nostra. Quid sit Christus aliaq; similia mysteria à notitia plebeij gregis hactenus exulant si exilium dicendum, forte enim nunquam ab alijs domicilio memoriæ recepta erant. Arguendi sane Apostoli verbis: *Hebr.* 5. Cum deberetis esse magistri propter tempus, rursum indigetis, vt doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei, & facti estis quibus lacte opus sit non solido cibo. Agite iam, Angelosne iterum ad docendum mittere debeat Christus? Fecit, submisit Angelos, nimirum Sacerdotes, quos ita Diuinæ appellant literæ: *Malach.* 2. Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Tot autem misit hosce Angelos, vt possit etiam de illis dici, Facta est multitudo dicentium. Gloria in altissimis Deo: *Luc.* 2. Quid ergo tandem diceret Christus? rudes ne animos hominum argueret. O stulti & tardi corde ad credendum: *Luc.* 24. An verò illas comminatorias Prophetæ voces: *Zach.* 11. O Pastor, &c. mihi absit vt determinem: asserere tamen nequeo, ita omninò rudes esse plebeculæ animos, vt si docendi praxes propositæ, vel his similes diligentiaq; saltem mediocris adhiberetur erudiri sacris nequaquam possent mysterijs: Diligentia inquam minor etiam illâ quam Pseudopastores Hæretici in proponendis suis erroribus libenter & prompte suscipiunt. Optime huic rationi accomodarentur verba Diui Apostoli S. *Corint.* 12. *&* *Rom.* 12. Æmulamini Charismata meliora.

liora. Nolite vinci à malo, ſed vincite in bono malum. Hac tam laudabili æmulatione, ignominioſa è Chriſtiano cætu facile abolebitur ignorantia. Vltimum non vltimo tamen in annis hominum ponendum loco motiuum ſit, quod ad hoc Angelicum rudes erudiendi negotium excitet. Indulgentiæ ab Apoſtolica ſede conceſſæ omnibus qui ſe pio tradendæ vel ediſcendæ Doctrinæ Chriſtianæ operi applicant.

Tenorem Indulgentiarum non omnium quidem ſed præcipuarum profero quas Sanctiſſimus D. Gregorius XV. conceſſit.

1. QVi de ſuperiorum ſuorum licentia ac de conſenſu ordinariorum locorum, pueros, & adultos quoſcunq; Doctrinam Chriſtianam iuxta decreta ſacroſancti Concilij Tridentini docere, aut eidem dum docetur intereſſe conſueuerint. Si vere Pænitentes, & confeſsi Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento, die ab eiſdem Ordinarijs in Eccleſijs in quibus Chriſtiana doctrina docetur, ſemel in anno deſignato, refecti fuerint, Plenariam Indulgentiam conſequentur.

Solent à pleriſq; Parochis Indulgentiæ ab vrbe pro ſuis Eccleſijs cum ſumptu procurari. Eccurnam quæſo hæc conceſſa ſine vllo alio ſumptu non vſurpetur?

2. Qui pænitentes & confeſsi dictum Sanctiſſimæ Euchariſtæ Sacramentum ſumpſerint, aut id facere non valentes animo contrito nomen IESV ſaltem corde in mortis articulo inuocauerint, ijs Plenariam

riam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſsionem miſericorditer in Domino concedimus.

Optantur plerumq; mimiſmata ſeu metalla benedicta cum ſimilibus Indulgentijs ferri ſolita. Inſtructores & diſcipuli Chriſtianæ doctrinæ ſine metallis has conſequi poterunt.

3. Qui pœnitentes & confeſsi ſemel quolibet menſe Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ijs ſeptem annos & totidem quadragenas concedimus.

4. Qui in cauſa fuerint, vt pueri, famuli, aut quæuis aliæ perſonæ ad doctrinam Chriſtianam eant ducentorum dierum Indulgentiam conſequentur.

5. Qui diebus ſtationum vrbis, hanc doctrinam in Eccleſijs aut Oratorijs, de Ordinariorum licentia docuerint, ac etiam illi qui ad eam diſcendam acceſſerint, eaſdem Indulgentias conſequentur, quas conſequerentur, & conſequi poſſent, ſi Eccleſias ſtationum eiuſdem vrbis perſonaliter viſitarent.

6. Omnibus & ſingulis Patribus & Matribus familias qui in ſuis domibus, liberis, famulis & familiaribus vtriuſq; ſexus Doctrinam Chriſtianam explanauerint qualibet vice id fecerint centum dies concedimus.

Sed quia vberrima numero quinto offertur meſſis Indulgentiarum, frequentiſsimi enim dies occurrunt per annum quibus Indulgentiæ ſtationum conceduntꝛ imò paucis aut nullis diebus non conceſſæ, ideo enucleatius aliquas referam. Plenarias

autem

autem solas recensere decerptas ex Thesauro Indulgentiarum placuit, ne in singulis referendis prolixior opera videretur.

MENSE IANVARIO.

Qualibet die Dominica Ianuarij plenaria. Item diebus: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10 11. 12. 13. 14. 15. 16. Plenariæ. Item Die 18. 20. 21. 23. 24. 25. 28. Plenariæ

FEBRVARIO.

Die: 1. 2. 5. 22. 24. Plenariæ.

MARTIO.

Qualibet feria sexta Martij plenaria. Item die 1. 2 3. 4. 5. 6. 7. 12. 19. 25. Plenaria.

APRILI.

Die 1. 23. 25. 26. Plenariæ.

MAIO.

Qualibet Dominica huius mensis Plenaria. Item die 1. 2. 3 6. eodem die liberatio animæ. Item à die octaua Maij vsq; ad Calendas Augusti sunt quotidie ad S. Ioannem in Laterano Plenariæ tres Tribus diebus Rogationum Plenaria. In Ascensione Domini Plenaria. A Vigilia Pentecostes inclusiue ad Dominicam Sanctissimæ Trinitatis etiam inclusiue Plenariæ. In festo Corporis Christi & per Octauam Plenaria.

IVNIO.

Die 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 12. 13. 24. 29. 30. Plenariæ.

IVLIO.

Die 1. 2. 14. 17. 22. 25. 26 Plenariæ.

AVGVSTO.

Die 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 12. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21 22. 24. 28. 29. Plenariæ.

SEPTEMBRI.

Die 7. 8. 10. 14. Plenariæ Item feria 4ta. 6. Sabbatho 4. Temporum Septembris Plenaria, & liberatio animæ ex purgatorio sabbatho. Item die 21. 29. 30. Plenariæ.

OCTOBRI.

Die 4. & per Octauam S. Francisci Plenariæ, 18. 28. Plenariæ.

NOVEMBRI.

Die 1. 2 8. 9. 18. 21. 22. 23. 25. 30. Plenariæ.

DECEMBRI.

Die 6. 7. 8. 21. 25. 26. Plenariæ. Die 21. Plenaria & liberatio animæ. 28. 31. Plenariæ.

INDVLGENTIÆ STATIONVM ADVENTVS.

Dominica 1. Aduentus, feria 2. 6. & Sabbatho. Plenariæ.

Do-

Dominica 2. & 3. Aduentus Magnæ Indulgentiæ.
Dominica 4. Aduentus. Plenaria.

INDVLGENTIÆ STATIONVM à Septuagesima, vsq; ad Dominicam in Albis.

Dominica Septuagesimæ Plenaria, & liberatio animæ ex purgatorio.

Dominica sexagesimæ & quinquagesimæ Plenariæ.

A Die Cinerum inclusiue omnibus Dominicis, & ferijs totius Quadragesimæ & Hebdomadæ Resurrectionis Domini nostri IESV Christi, vsq; ad Dominicam primam post Pascha Indulgentiæ Plenariæ, & aliæ plures Indulgentiæ.

Præterea multi docent Romæ singulis diebus per Annum esse Indulgentias Plenarias stationum in tribus locis. In Sacello S. Ioannis Baptistæ apud Ecclesiam S Ioannis Lateranensis. In Sacello S. Laurentij quod dicitur Sanctum Sanctorum. In Sacello S. Helenæ in Ecclesia S. Crucis.

DIES.

Qvibus virtute Indulgentiarum stationalium potest anima liberari è purgatorio.

1. *Dominica Septuagesimæ.*
2. *Feria 3. 1æ. Dominicæ Quadragesimæ.*
3. *Dominica 3 Quadragesimæ.*
4. *Dominica 4. Quadragesimæ.*
5. *Feria sexta post Dominicam Passionis.*
6. *Sabbatho post Dominicam Passionis.*
7. *Feria 5. post Pentecosten.*

8. Sab-

8. Sabbatho post Pentecosten.
9. Sabbatho 4. Temporum Septembris.
10. 6. Maij id est Festo S. Ioannis ante portam Latinā.
11. 27 Decēbris id est in Festo S. Ioannis Euangelistæ.
12. Quod diligenter aduertendum qualibet feria 4. per Annum Liberatio animæ.

Tot & tantas Indulgentias præter alias Plenarijs minores (quas enumerare breuitatis animus non suadet) consequi possunt docentes & audientes doctrinam Christianam diebus stationum recensitis. Singulare equidem motiuum studij Catechistici promouendi.

Addo, propter eos qui aliquando fuerunt Sodales Congregationum Beatissimæ Virginis in Collegijs Societatis Iesv congregari solitarum, solent autem esse in Clero plurimum. Quilibet Sodalium Congregationis B. V. has Indulgentias stationum consequi potest, si septem Pater noster, & Aue Maria in Ecclesia vel Capella Societatis Iesv, aut si ibi non est in alia recitauerit.

Sed iam ad Praxes Catechisticas descendamus.

PRI-

PRIMA PRAXIS.

NVllius è rudi plebe Matrimonio assistere priusquam vterq; nubentium sciat articulos fidei scitu, necessarios, præter Orationem Dominicam, & Decalogũ. Equidem meritò id à sponsis exigendum esse videtur si enim ipsi nesciant mysteria fidei, quomodo prolem quam ex matrimonio suscipient edocebunt? Audiuntur non raro excusationes à Plebeijs adductæ cum eorum inscientiæ & errores taxantur, se ita à parentibus edoctos, his excusationibus non aliter obuiari potest, quam si Neosponsi prius principalia norint fidei mysteria, quam ad statum parentum admittantur. Tanti equidem valoris esse hæc praxis censenda est, vt si vel sola hæc adhiberetur, sensim plane sine sensu rude vulgus in tenebris iacens luce, & cognitione fidei illuminaretur. Quoties ergo Bannæ alicuius e plebe rudi promulgantur, potest formari talis vel similis promulgatio. Nouerint Neosponsi antequam ad contrahendum admittentur matrimonium, interrogandos esse de Oratione Dominica, de Decalogo. Item quid sit Sanctissima Trinitas? Quid Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum? Quid sit Christus? Quot & quæ Sacramenta? Quid Confessio & quæ requisita illius? Quid Contritio, & quam necessaria ac vtilis ad salutem? Quomodo in necessitate puer periclitans baptisandus? quod etiam sciendum esse à parentibus inferius probabitur, post septimam praxim, dubio 2do. Vt autem maiori cum fructu

Sacramentum Matrimonij suscipiant, per Confessionem & Sanctissimæ Eucharistiæ Communionem se præparare meminerint. Hactenus formula Bannarum. Nec sufficit semel promulgatione tali vti, sed toties quoties matrimoniũ publicatur, sic enim magis æstimatio articulorum fidei pectoribus rudium infigetur. O quantam Curam tunc Neosponsi rudes adhibebunt, vt ea quæ ab eis requiruntur addiscant ne contractus exoptati Matrimonialis dilatione puniantur. Neque solum hi sed & alij Auditores excitabuntur ad hoc salutare studium articulorum fidei, audientes cum quanta solicitudine id exigatur à Pastoribus suis. Noui Virum Curatum hac in parte accuratum zelosumque ; qui tantus fuit æstimator huius praxeos, vt etiam voto se obstrinxerit ad eam vsurpandam : Deus alijs vel eundem vel similem elargiatur feruorem.

Ad commendationem istius primæ praxeos plurimum quoq; roboris adfert, eam tanti à Theologis Moralibus æstimari, vt specialis Quæstio ab ijs instituatur, an sint à Matrimonio arcendi qui fidei, rudimenta nesciunt ? Affirmat id Bartholomæus à Ledesma, Vega citati à Thoma Sanchez de Matrimonio lib. 3. Cap. 15. Basilius Pontius innuit citatus à Diana part. 4 Resol: 85. Vnde in Synodo Panormitana sic habetur. Parochus moneat Sponsos Matrimonio minime iungendos esse, quin fidei Christianæ rudimenta prius nouerint. Et in Archiepiscopatu Bononiensi decernitur sic. Quæret Parochus an Matrimoniũ facturi doctrinam Christianã sciant, (puta circa Mysteria de necessitate, tam medij quã

præ-

præcepti neceſſaria, de quibus paulo poſt loco citato agetur) quod ſi vterq; ea neſciat, aut eorum alter, moneat illos ſe non ante ad tertiam denunciationem venturum, quam illa ab ipſis recte memoria teneri & intelligi perſpexerit. Hæc ibi. Et quamuis abſolutè & ad longum tempus non eſſe arcendos à coniugio Sponſos ſentiat Homobonus, Sanchez, Diana, expedire tamen exiſtimant ſuauiter & prudenti ratione ad breue tempus eos impedire & detinere donec addiſcant, niſi præ ſenio aut ingenij tarditate omnino incapaces eſſent. Nec ad commendandam vlterius hanc praxim plures adducendæ rationes; quam ſit congrua & proficua, ſicut iam quoſdam experientia docuit, ita alios ſi vſitatam ſibi fecerint facilè edocebit.

SECVNDA PRAXIS.

POſt concionem cum populo Profeſsionem fidei (quam vide infra poſt vltimam praxim poſitam) recitare, idq; loco illius Formulæ Confeſsionis generalis dici ſolitæ. Longe vtilior hæc Profeſsio fidei eſt. Nam vt formula illa Confeſsionis generalis ſciatur, non eſt de neceſsitate aut præcepto, ſicuti eſt notitia articulorum fidei. Particularis etiam confeſsio ſæpe ſine illa formula rectius peragi poſſet; ſunt enim forte pleriq; qui putant præter illam Confeſsionem generalem, nihil plus in Confeſſione auriculari addendum eſſe. Immo vt verbis vtar eruditiſſimi Thomæ Sanchez potius rudibus, valde nocet peccata Capitalia eos edoceri; putant enim

quamcunq; superbiam, gulam &c. esse peccata lethalia, & sæpe ex Conscientia hac erronea mortaliter delinquunt. Ita ille lib. 3. disp 15. num. 19. Optandum ergo potius videretur, vt saltem alternatim Professio fidei, Decalogus; Actus contritionis, Oratio Dominica cum Salutatione Angelica & Symbolo Apostolorum distinctè & lentè recitetur cum rudibus. Nam & in istis elementis Christianismi plebs sæpe aut passim errat, immiscetq; ea quæ vel aduersantur fidei, vel superstitionem redolent. Singula hic referre non vacat aliqua innuo. In salutatione Angelica aliqui addunt benedictus fructus ventris tui, IESVS Christus, Filius Dei Spiritus Sanctus; quasi eadem sit persona Filij Dei & Spiritus Sancti. Ab alijs descendit ad inferos omittitur. Dicunt enim rudes cur descenderit ad inferos, cum fuerit rectus & iustus homo? Scio locum vbi ad articulum illum sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis addebatur in Polonico: **Siedzi ná Práwicy Bogá Oycá wßechmogácego iák co poczćiwego.** Alij processionem ritu explodendam Beatissimæ Virginis, cum Christo Die parasceues factam melius quam Orationem Dominicam aut Decalogum, aut alia mysteria memoriæ mandant. Alij de angulis domus lepidam adhibent precatiunculam. Audiui à puero quodam Orationis Dominicæ ignaro, Orationem rythmicam Polonico idiomate ad Beatissimam Virginem, longiorem & superstitiosam de tribus cubilibus; primum inquit fuit B. Virginis, secundum S. Annæ, tertium S. Ioannis. Expeditè illam & sine hallucinatione recitabat, etsi

sa-

ſatis longa fuerit. Plura ſimilia qui voluerit facilè experietur. Ego hæc adduxi vt intelligatur, à rudibus ſi hæc poſſunt, etiam meliora percipi poſſe modo illis ſæpius proponantur. Interim illud addendum occurret, quod hæc ſecunda praxis in Miſſionibus Spiritualibus vſurpata, nimirum Profeſſio articulorum fidei ad calcem praxium poſita, actuſq; contritionis finita Concione recitatio, ita grata fuerit Auditori, vt eam alij ſumme deprædicauerint, alij pro adhibita gratias egerint, alij deſcribi curauerint, vt vel inde non exiguum fuerit motiuum illius cum alijs additis praxibus typo euulgandi.

TERTIA PRAXIS.

IN Concione ſi non ſemper, ſaltem frequenter, aliquis articulus fidei, magis ſcitu neceſſarius eruendus ex Euangelio, & breuiter explicandus. Laudabilis certè eſt Epitome dicendi verbi Diuini, cum vna pars mores inſtruit, altera aliquem fidei articulum breuiter edocet. Neq; ſunt audiendi aut imitandi, ſi qui dedecori ſibi ducunt aut pudori, explanare rudibus pro Concione aliquod Doctrinæ Chriſtianæ punctum. Hos enim Pſeudoſapientes iuſto titulo quiſq; dixerit: Temerarius eſt qui tali ſenſu laborat, ſed & temeritatis notam incurrit, qui propter ſtultorum ſenſum aut verba, à tam ſalutari labore pijſſimoq; zelo animum mutat aut abijcit, ſequatur potius illud tritum: Ne cures verba malorum.

QVARTA PRAXIS.

ALiquibus placet vt puer legat cum populo post Concionem in tabula descriptam Orationem Dominicam, Decalogum, mysteria fidei, & alia sciri debita, de quibus finem septimæ praxeos consule. Describi autem hæc ideo volunt ne puer alias memoriter recitando aberret. Efficacius quidem puto ab ipsis Sacerdotibus ex memoria recitantibus id perficeretur, commendatumq; populo magis redderetur. Nihilominus si aliqua iusta ratione ipsi impediti, non verò futili respectu pudoris aut confusionis suæ in docendis his mysterijs, per puerum id præstant; laudabilius ijs faciunt, qui neq; per seipsos, neq; per pueros plebem instruunt. Hæc praxis suggeritur à Starouolscio in præfatione Polonicarum suarum concionum. In Silesia quoq; similem adhiberi praxim intellexi.

QVINTA PRAXIS.

DEducitur ex pia consuetudine hominum in quibusdam ditionibus Polocensibus Albæ Russiæ manentium, vbi villicus bene prius ipse instructus recitat cum populo voce distincta, sub tempus Sacrificij Missæ vel aliud opportunum Orationem Dominicam, Decalogum, Præcepta Ecclesiæ, Mysteria Fidei. Gratissimus sanè Deo concentus populi sic exorantis, gratior sonis vocem sæpe sine merito deuotionis diuersimodè frangentibus.

SEXTA PRAXIS.

IN ordine ad eundem finem ediſcendorum à plebe neceſſariorum Fidei arcanorum, poſſent interdum pueri, vbi dociles inueniuntur canere ſub altera parte Sacri, diebus Dominicis aut Feſtis Orationem Dominicam, Decalogum, Actum Contritionis, Profeſsionem Fidei & alia ſimilia, loco aliarum cantilenarum piarum, ad ſimilem vel alium tonum qui ante Catechiſmum in Eccleſijs Societatis IESV conſuetus eſt: vel etiam vnus puer præcinat & chorus aut populus loco puerorum vbi hi deſunt reſpondeat: vel vt ſolet in aliquibus Eccleſijs Decalogus cani à choro & à pueris ſimul cum populo, ita & alia ab omnibus canantur. S. Franciſcus Xauerius, Indiarum Apoſtoli titulo à Sede Apoſtolica inſignitus, adeo morem canendi myſteria Fidei partibus illis commendauerat, vt etiam domi foriſq; ferianti, aut laboribus intento populo eum vſitatum fecerit. Ita hiſtoria Vitæ eius.

SEPTIMA PRAXIS.

MOdum hunc porrigit, vt ſcilicet occurrentibus feſtis Chriſti Domini, Sanctiſsimæ Trinitatis, & aliorum huiuſmodi, myſterium occurrentis feſti explicetur. Poteſt autem id peracta concione breuiſsimis abſolui verbis, magiſq; rudium memoriæ accommodatis, v. g. in Feſto Natalis Domini poſt finem Concionis. Noueritis Auditores reſpondere interrogati cuius hodie Natiuitas? Nimirum IESV Chriſti Domini noſtri: IESVS verò Chriſtus eſt ſecun-

da persona Sanctissimæ Trinitatis, id est Filius Dei, homo factus pro nobis, passus, mortuus, &c. Estq; simul verus Deus & verus homo, &c. Similiter in alijs festis Paschatis, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, Sacratissimi Corporis Christi, &c. articulus fidei conueniens festo auditori proferatur. Multum autem iuuat talia in maioribus festis innuere, quia tunc frequentior populus ad Ecclesias confluit. Itaque commodissimum esset vt solennioribus festis recitentur etiam cum illis alia scitu necessaria, præter mysterium festi occurrentis; Tum ob dictam rationem maioris hominum soliti concursus. Tum quod (satis mouere potest) quia his diebus docentibus & audientibus Christianam doctrinam vt plurimum concessa est Indulgentia plenaria, quod patet ex apposito supra Indulgentiarum Catalogo, numero quinto.

Obseruandum est autem simplicibus & rudibus non sufficere, vt semel intimetur aliqua Fidei Doctrina, sed eadem repetenda crebrius, non enim sunt tam facilè capaces, vt possint ex vna aut altera promulgatione rem dictam percipere ac memoria retinere. Præterea non omnes simul solent concurrere, vnde cum semel tantum aliquid proponitur, alij absentes doctrina frustrantur, quo autem sæpius, pluribusq; festis eadem doctrina repetetur, plures & facilius instruentur. Et plane hic ad normam S. Ioannis Apostoli videtur procedendum, qui eandem de Charitate S. Hieronymo teste exhortationem discipulis suis frequentissime iterabat. Vidi ego virum ad secundas iam nuptias aspirantem

tem cum interrogaretur quid ſit IESVS Chriſtus reſpondere penitus neſcientem, qui cauſam ignorantiæ defectum inſtructionis, ſæpius immo millies repetendæ prætendere potuiſſet. Similes idiotæ plurimi reperiuntur, qui etiam atauorum, non ſolum titulo Sponſorum gaudere poſſent.

NEQ; DICAS. Videtur hic labor circa erudiendos doctrina Chriſtiana rudes fruſtra & ſine fructu aſſumendus. Nam rudis homo ac plane animalis non percipit ea quæ ſunt Spiritus. Reſpondeo. Hæc ratio probaret etiam immo multo magis abſtinendum eſſe à concionibus. Facilius enim arbitror poſſe à rudibus percipi explanationem myſteriorum Fidei, quam Propoſitiones, aut Confirmationes Concionum haberi ſolitarum, & tamen circa has labor aſſumitur difficilior. Fateor quidem à rudi plebe non tam facilè percipi & apprehendi res Diuinas, omnino tamen nego adeo incapacem eſſe, vt ſi clarè & multoties repetantur illi myſteria ſcitu neceſſaria, nequeat illa tandem ediſcere: Quia etiam durum gutta frequens cauat lapidem. Sed etſi non ſtatim percipiatur à rudibus propoſita illis doctrina Chriſtiana, magni tamen illam æſtimant, ſummaq; cum auiditate illam audiunt, multas pro ea tradita gratias teſte experientia referunt, præſertim ſi illis myſterium aliquod credendum eſſe ad ſalutem, omnino neceſſarium dicatur. Interim quia ſæpe facta eſt mentio articulorum fidei neceſſariorum, exoriri poteſt dubium quinam ſint iſti articuli? Ad dubij huius reſolutionem breuem placuit iuſtituere quæſtionem. Itaq;

QVÆRES. Quænam Mysteria fidei sint necessario scienda & explicite credenda? Antequam respondeam, Suppono duplicem hoc loco assignari à Theologis Necessitatem. Altera est necessitas medij, Altera vocatur Necessitas Præcepti. Necessarium necessitate medij est sine quo, siue culpabiliter, siue inculpabiliter omisso, finis haberi non potest. Tali necessitate Baptismus est necessarius ad salutem: Quia sine eo licet inculpabiliter ab infantibus omittatur, vita æterna ab ijsdem post obitum non obtinetur. Necessarium verò necessitate præcepti est, quod licet præcipiatur fieri, tamen si inculpabiliter & sine peccato omittatur, non impedit consecutionem finis. Talia sunt multa præcepta, siue à natura, siue à Deo, siue ab homine lata. Quorum omissio ex ignorantia inculpabili non adfert mortem æternam. Hoc supposito. Rñdeo vniuersaliter omnes conueniunt vnumquemq; adultum initio suæ iustificationis debere explicite credere necessitate medij Deum esse, & inquirentibus se remuneratorem esse. Probatur id ex vndecimo ad Hebræos vbi ait S. Paulus. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Subtiliores & longiores rationes ad id probandum Theologorum lectioni relinquo: Nunc fundamentum ex verbis S. Pauli assumptum sufficiet. Mysterium Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationem Christi debere credi explicite necessitate medij affirmant multi graues, vt D. Thomas citatus à Thoma Sanchez, Alensis Bonauentura, Molina, Valentia, &c. sed licet id negent alij

hoc

hoc tamen vnanimi consensu proclamant, Mysteria Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis Domini, à quolibet explicite esse credenda necessitate præcepti. Quia hæc prædicari & publicari omni creaturæ præcepta esse à Christo illis verbis Marci vltimo: Prædicate Euangelium omni creaturæ; sensus explicat Doctorum. Necessitate etiam præcepti Oratio Dominica, Symbolum Apostolorum, Præcepta Decalogi & Ecclesiæ, Sacramenta, præsertim necessaria, Baptismus, Eucharistia & Pænitentia, reliqua autem saltem quando suscipienda sunt (quod de omnibus asserit Bannez & Ledesma etsi ea non recipiantur) sciri debent. Ita fere communiter Theologi. An verò hæc singula sint scienda præcepto Diuino vel Ecclesiastico magis speculationi quam praxi inseruit. Hinc

INFERTVR 1. Episcopos, Parochos, Parentes, Tutores, Magistros, Pædagogos, obligari ad instruendum in his Parochianos, Filios, Discipulos: Quia debent curare vt suæ curæ commissi, viuant secundum exigentiam Christiani status, viuere autem non possunt nisi hæc sciant. Ita planè Sanchez, Filliucius, &c. Eadem obligatione tenentur ij qui pro Missionibus ad ministeria spiritualia à superioribus mittuntur, potissimũ enim est Ministerium spirituale docere ea quæ sunt scitu necessaria, præsertim si non docentur ab alijs, Ministrans enim tantum in his quæ absente illo, ab alijs etiam communiter fiunt, minus est minister vtilis. De Dominis quoq; affirmandum videtur, incumbere illis vt curent instrui suos subditos, præsertim vbi de-

desunt vel in persona, vel in muneris sui executione Pastores.

De Confessarijs quomodo teneantur instruere suos pænitentes inferius agetur, post praxim duodecimam.

INFERTVR 2. Falsam esse opinionem illorum qui dicunt rusticis satis esse, articulos fidei, aliaq; supra dicta implicite credere, credendo tantum quidquid credit Ecclesia. Immò hanc sententiam alij erroneam, alij hæreticam appellant apud Thomam Sanchez, lib. 2. cap. 3. Si tamen rudes interrogentur de causa, cur sic credant de hoc vel illo articulo, sufficit vt dicant, quia sic proponit & credit Ecclesia Catholica. Ita communiter Doctores.

DVBITABIS primo. An Actus contritionis & Efficacia illius debeat sciri à populo, consequenter à Parochis & Confessarijs doceri? ℟. Nusquam expresse apud Authores dubium id reperi, supponunt enim (vt puto) tanquam rem certam debere sciri ab illis, & ab his doceri. Et videtur contineri in illo Articulo Credo remissionem peccatorum; Qui enim peccato obnoxius credit remissionem peccatorum, debet scire saltem ex præcepto Charitatis in seipsum ac animam suam, modos ordinarios quibus peccata remittuntur, inter quos est contritio. Prætera Actus Contritionis est medium ad salutem frequentissime necessarium. Ergo si alia quæ non sunt media ad salutem sciri debent, multo magis id quod est medium salutis sæpissime varijs in periculis occurrens. Omitto hic alia motiua ad ediscendum & docendũ actum tam salutarem, quæ quemlibet

libet Christianum, nisi sibi & alijs velit esse inimicus, permouere possunt, videbis nonnulla infra post descriptum Exercitium istiusmodi actus. Id addo ex mente Theologorum. Quod supposito periculo vitæ in defectu confessarij teneatur quilibet quantum potest conteri. Ergo tenetur scire modum Contritionis exercendæ, & scire se obligatum esse pro illo tempore ad Actum huiusmodi. Si verò tenetur scire populus, clare sequitur, quod teneantur docere Pastores, nec non qui vices eorum, siue ex obligatione, siue ex charitate sustinent; quanta autem diligentia vsurpetur in hac doctrina, quisq; suum recolat Magisterium & profectum. Ego affirmandum omnino censerem, nimis paucorũ è grege plebeio capiti inhærere scientiam & obligationem tam necessariam, meritoq; inter scientias præstantissimas numerandam. O quot animæ ob ignoratam Contritionem nec sæpius explicatam efficaciam & obligationem illius in casu periculi, æternum pereunt! Quis autem interitus & ignorantiæ tam abhorrendæ sit Causa, facilè à quolibet concludi potest.

DVBITABIS 2. An Parentes præter alia teneantur etiam scire Formam Baptismi, vt in necessitate possint baptizare prolem suam, vel instruere alium præsentem periculo prolis suæ. De obstetricibus, non item de parentibus reperitur quæstio inter authores, An teneantur scire substantialia Baptismi, scilicet Materiam & Formam. Et multi graues respondent teneri. Ita D. Antoninus, Nauar, Paludanus, Henriquez & alij citati à Diana. Et licet aliqui

qui contrarium ſentiant cum Diana pium tamen id omnes & conſulendum putant. Ratio tamen pro ſententia priorum Authorum eſt. Quia omnis præuidens in aliqua circumſtantia periculum grauiſsimi mali proximo imminentis, & non curans obuiare illi, cum facillime & immediatiſsime præ alijs poſsit, contra Charitatem peccat, vt ex terminis ipſis patet. Et ſicut qui præuidet periculum animæ propriæ tenetur illud auertere : Ita & in proximo quem diligere debet ſicut ſeipſum. Sed quidquid ſit de obſtetricibus potiori iure parentes debent prouidere ſaluti prolis ſuæ, vnde vel ipſi tenentur ſcire formam Baptiſmi in neceſsitate adhibendam, vt poſsint per ſe baptizare abſentibus alijs, vel tenentur procurare obſtetrices gnaras ritus baptiſmalis. Quis enim dicet Parentes qui timent (prout in tali paſſu timere debent) periculum ſalutis in prole ſua, nec curant manum illi adferre, Charitatem habere erga prolem ſuam, potius illos crudeles & immolantes filios ſuos & filias ſuas Dæmonijs appellaueris. Præterea parentes debent vitare illa ex quibus timetur proli periculum abortus corporalis, ergo multo magis debent vitare id ex quo timetur periculum abortus ſpiritualis ſeu mortis, æternæ: ſed ex ignorantia ritus baptiſmi in neceſsitate conferendi periculum eſt in prole abortus ſpiritualis. Ergo ignorantiam hanc tenentur vitare, ac conſequenter tenentur vel ſcire ipſi hunc ritum vel tales aduocare qui ſciant. Ad extremum ſi ad præcauendum naſcituræ ſobolis malum corporis curas & teneris aduocare obſtetricem peritam, ad præcauen-

uendum animæ interitum non teneberis vti medijs conuenientibus?

Hinc ſequitur à Parochis eorumq; munus obeuntibus debere id frequenter proponi plebi, vnde enim id ſciet niſi ab eis edoceatur. Commodiſsima autem & præter alias opportuniſsima occaſio inſtruendæ hac doctrina plebis toties quoties Sacerdos, vel audit Confeſsiones Neoſponſorum, vel aſsiſtens contractui Matrimoniali, aliquam de ſtatu Sacramenti Matrimonij præmittit præfatiunculam. Eodem tempore commode & profeſsionem articulorũ infra deſcriptorum proferet. Neq; ſit pudori eadem ſæpius repetere, talem enim repetitionem rudiſsima plebs exigit, cui lectio decies immo pluries repetita placebit ac memoriæ imprimetur. Multum equidem conſuleretur profectui plebis, ſi occaſiones breuiter innuendorum myſteriorum fidei non intermitterentur. Interim ad Calcem huius paragraphi millies ingeminandum occurrit. Heu heu miſeri infantes: quot & quanti perpetuo tenebrarum carceri adſcripti eſtis, ob ignorantiamne parentum, an principalius ob negligentiam inſtructorum docere vel proponere id minus curantium, vltima die reſpondebitis.

DICES 1. Ex hac doctrina facile poterit abuſus ſequi. Facile enim parentes fingent neceſsitatem ne adeant Parochos cum pueris baptizandis. ℞. Satis ſcrupuloſos experientia didici eſſe rudes, circa deferendam ad baptiſmum prolem, circa benedictionem adhibendam poſt partum, circa Chriſmate vngendos pueros, perſuaſi enim ſunt non immu-

nes

nes fieri à timore nocturno, qui non ſunt Chriſmate delibuti: Deinde cum inſtructione Formæ Baptiſmalis, ſimul inſtruendi ſunt, ſi puer ſuperuixerit deferendum eſſe ad alios ritus ſuſcipiendos. Prætεrea quid eſt deterius, an ſine baptiſmo interire infantes, an baptizatos non deferri ad Eccleſiam, præſertim cum id facile emendari poſsit diligentia adhibita, interitus autem & mors æterna infantis nulla ratione curari queat. Inſuper incertus eſt iſte abuſus & dubius, certa autem obligatio occurrendi periculo ſalutis ſuarum ouium in Parochis, & tanto malo prolis ſuæ in parentibus. Ad extremum ſi propter abuſus ex malitia futuros, non ſunt facienda aut præcipienda bona. Euchariſtiæ ſuſcipiendæ præceptum cur latum eſt? cum tot abuſus in ſuſceptione illius ſacrilegia fiant.

Dices 2. Rarus hic caſus eſt, vt infantes moriantur ſine baptiſmo. Ergo minus curari debet, quæ enim raro & per accidens fiunt, non veniunt in conſiderationem prudentum. ℟. 1. Negando antecedens. Si enim conſuetum ſeu ſolitum poteſt dici, quod bis, ter, aut quater factum eſt vt teſtatur Sa, verbo Conſuetudo. Nonnè mors infantum ſine baptiſmo, quæ toties accidit dicetur frequens & ſolita fieri. ℟. 2. Etſi iſte caſus eſſet rarus, quia tamen periculum grauiſsimi mali & incompenſabilis damni adfert proli, præcaueriq; facile poteſt, prudentiæ dictamen ſuadet, vt omnino à parentibus ſciatur modus tam facilis occurrendi illi, & conſequenter vt doceantur parentes de tali modo. Quis enim nollet ex Caritate periculum euenturi in aliquo caſu li-

ce

cet raro mali alicuius grauiſsimi, & nulla ratione reparabilis euitare ſi facillimo & certiſsimo modo poſſet, ſicuti poteſt in propoſito caſu. Quis ad auertendam iacturam millenorum aureorum, v. g. licet raro in aliqua circumſtantia euenturam, ſeu poſsibilem euenire, ſi poſſet medium certiſsimum & facillimum inuenire non illud inueſtigaret? Et cur quæſo eâdem ſaltem diligentia ad auertendam æternam & nullo remedio curabilem mortem prolis, modus facilis inueſtigari & ſciri non debeat ab ijs, quibus id ex Officio, ſiue corporalium ſiue ſpiritualium parentum incumbit. Dixi Millenorum aureorum, ſed nonne etiam pauciorum à filio ſiue periculo amiſsionis accipiendorum modum, inquireret parens? Similiter autem infanti moribundo, gratia acquiritur poſt mortem nunquam amittenda, & tamen hæc præſtantior eſt omnibus naturæ theſauris. Si ergo rationem facillimam conferendi illam proli ſuæ parens negligit, non immerito impius habebitur.

Collige. An Confeſſarius etiam teneatur pænitentem coniugatum de ignorantia ritus baptiſmi in neceſsitate adhibendi interrogare & inſtruere? Reſpondeo enim. Quando ſupponit veriſimiliter reperiri in aliquo hanc ignorantiam (ordinarie autem in rudibus coniugatis experientia ſupponere iubet) tenetur illum officij ſui monitum facere, nô complex ſit malorum ex tali ignorantia manantiũ ipſe Confeſſarius. Et Communiter docetur Confeſſarium teneri cum poteſt, ignorantiam illorum quæ ad ſtatum pænitentis ſunt neceſſaria tollere, præſertim

tim verò si ex ignorantia etiam inuincibili tertio damnum sequitur grauissimum, aut periculum illius vt in hoc casu. Vide in simili discursum infra post praxim duodecimam.

OCTAVA PRAXIS.

PAtrini antequam admittantur ad id Officij interrogentur breuiter, sciantnè ipsi Orationem Dominicam, Decalogum, Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quid IESVS Christus? Quid Eucharistia? Quid Confessio, quisue eius faciendæ modus? Quid contritio & quanta necessitas eius &c.? Illi enim in fide ac moribus Christianis tenentur susceptos à Baptismo pueros instituere, idq; sub peccato graui, nisi parentes aut alij id præstent. Vide D. Thomam aliosq; Theologos de hac re tractantes. Quod si ipsi Patrini nescierint, quo pacto Filios spirituales erudient? Hæc obligatio Patrinorum esset populo aperienda.

NONA PRAXIS.

PRoponit & suadet vt in pijs Confraternitatum, aut Sodalitatum vel Catechismorum Concilijs aut conuentibus, ad Ecclesias fieri solitis, cum publice recitantur Rosaria, aut aliæ Orationes pro more cuiuscunq; Confraternitatis, Sodalitatisue; ad finem illarum recitetur etiam publice inferius posita Mysteriorum fidei Professio cum actu Contritionis. Similiter ad finem Catechismi fieri soliti in templis Societatis IESV, vel alibi, in Missionibus à personis eiusdem, idem exoptat hæc praxis.

DE-

DECIMA PRAXIS.

COnuenientiſſimum huic fini ſcilicet ad rudes erudiendos medium videretur, ſi aliquaSodalitas ſeu Confraternitas Sanctiſſimæ Doctrinæ Christianæ per pagos & Caſtella inſtitueretur, ad ſimilitudinem & proportionem aliarum Confraternitatum; Quam Sodalitatem ſuſcipientibus potiſsimũ ſit munus ediſcendi myſteria fidei, eaq; ſæpe recitandi ac profitendi, alioſq; ignorantes edocendi. Alias leges huius pijſsimi & meritorum pleni Sodalitij, facile pietas & zelus ſuggerere poterit. Vtinam Deus Spiritum ſuum cuipiam inſtillatum vberius affundat, vt eam nouam licet forte & nondum vſitatam à Sanctiſsima impetret poteſtate, & ſerio promoueat. Abſit vt ego derogem pietati aliarum Sodalitatum, Confraternitatum, Congregationum, vel alio quocunq; nomine dictarumSanctarum cohortium. Veneror illas & colo debita reuerentia. Huius tamen vel vtilitatem, vel neceſsitatem, vel dignitatem ex ipſo Obiecto ex fine deſumptam nemo non præferet. Vnde ſi Apoſtolica Sedes alijs largiſsimas elargita eſt gratias, huic quoq; ſuam benedictionem, & gratiam Indulgentiarum à Paterna eius prouidentia minime denegandam putarem. Sufficiens enim & iuſtum videtur eſſe motiuum conferendarum Indulgentiarum, non tantum tali Sodalitati, ſed etiam quoties aliquis profitetur fidem explicite de Sanctiſsima Trinitate vel de Chriſti Incarnatione, vel de Sanctiſs. Sacramento, vel de Spiritu S. vel de numero Sacramentorum, &c.

vt hisce Indulgentijs homines allecti, facilius rudes articulorum fidei animos deponant & exuant.

VNDECIMA PRAXIS.

DVm plebs confluit ad Confessionem Paschalem vel ab ipso Pastore, vel à fideli aliquo substituto; de Oratione Dominica, de Decalogo, alijsq; mysterijs fidei infra enumerandis examinentur, & si nescierint instruantur. In templo autem opportune singuli audientibus alijs docebuntur. Ita enim facilius ignorantes ex frequenti repetitione, repetitoq; auditu addiscent ac memoriam imprimment. Si autem aliquis (quod in senibus potissimum accidere probatum est) non poterit facile pro tunc percipere, saltem in Confessione eliciantur cum illo actus fidei, circa mysteria de necessitate scienda, & exigatur propositum sensim ediscendi, & sciscitandi illa à vicinis, aut ab alijs, qui iam probe ea perceperunt.

Hæc Praxis adhibita magnas in Confessionibus Paschalibus rudium pænitentium suppetias conferet Confessarijs. Quilibet enim rudium testimonium habens, suæ ex Examine Scientiæ & instructionis, ab interrogationibus tricisq; longioribus Confessarium liberabit.

DICES. Præ confusione & pudore ignorantiæ suæ in tali examine sufferendo, retrahentur rudes à Confessione. Ergo est relinquendum. ℟. 1. Retorquendo argumentum. Ad confusionem vitandam ex publicatione omissæ confessionis Paschalis, indeq; sequentiū contra tales pænarum, confessionem

nem nequaquam omittent (supposito vt tu supponis in argumento illos esse tam delicatos in puncto confusionis sufferendæ) & ad eandem confusionem vitandam præcepta mysteria fidei promptius ediscent. Ergo examen tale, vel ex hoc medio à te assumpto est approbandum & ad vsum deducendum. ℟. 2. In examine ob ignorantiam confunditur studiosus; ergo ne ipse & alij studijs similibus dediti retrahantur ab illis propter confusionem, omittendum est examen. Valetne argumentum? ℟. 3. Parochus cum sit Pastor & præceptor spiritualis, habet ius ad inuestigandum & examinandum illos de quibus dubitat, an sint gnari eorum quæ scienda sunt. Per accidens ergo & præter intentionem Parochi, vtentis iure suo, isti nimis verecundi retrahentur à confessione. ℟. 4. Incerta est & dubia in rudibus fuga ex hoc capite, à confessione. Certa autem & indubitata obligatio in Pastore ad erudiendos, illos quos putat verisimiliter esse ignaros rerum fidei. Quid ergo? certumne an incertum præponderare ac magis æstimari debet. Equidem dum hæc praxis adhiberetur in quibusdam Parochijs, non sum expertus imminui numerum pænitentium, nec alij (ita opinor) experientur, si illis necessitas sciendorum articulorum serio & blande commendetur, nec asperis mordacibusue verbis tractentur: Deniq; in Catechismi doctrina dum traditur in templo conuenientibus hominibus, solent interrogari de ea rudes, neq; tamen putantur per hoc retrahi ab auditione, & frequentatione illius, licet non ita cadat sub præceptum, sicut cadit confessio Paschalis.

·DVODECIMA PRAXIS.

IN qualibet confeſsione rudium breuiter cum illis eliciantur actus fidei, v. g. Credis Sanctiſsimam Trinitatem eſſe Deum Patrem, Filium Dei, & Spiritum S. vnum Deum in tribus perſonis? Credis IESVM Chriſtum eſſe Filium Dei, ſimulq; Deum & hominem verum, qui pro noſtra ſalute factus homo, mortuus eſt, &c.? Credis in Sanctiſsima Euchariſtia eſſe Corpus & Sanguinem Chriſti? Credis eſſe ſeptem Sacramenta, Baptiſmum, &c. Sciſne quid ſit contritio & quam vtilis, præſertim quod in articulo mortis poſsit homo non habens copiam Confeſſarij ſaluari per eam? Habeſne animum hæc myſteria addiſcendi, & interrogandi peritiores de illis? Addo ſæpe à rudibus nullam extorqueri poſſe Materiam Confeſsionis, ignorantia vincibilis myſteriorum fidei, Decalogi, Orationis Dominicæ, nonne ſufficientem præbebit abſolutioni reatum?

Ex occaſione huius Praxeos quæſtio enaſcitur ſatis huic loco apta, in qua

QVÆRITVR An teneatur Confeſſarius pænitentes ex plebe accedentes interrogare & inſtruere de fidei articulis ſcitu & creditu neceſſarijs, tam neceſſitate medij, quam neceſsitate præcepti? ℞. Teneri. Ratio eſt. Quoties enim ſufficienti fundamento præſumitur pænitens ignorantiam adeo neceſſariorum laborare, tenetur eum Confeſſarius inſtruere, vel ſaltem propoſitis articulis neceſſarijs hiſce, & elicito actu fidei circa illos, tenetur exigere propoſitũ addiſcendi illos. Sed de plebeijs pænitentibus ſuffi-

ciens est fundamentum præſumendi inueniri in illis talem ignorantiam. Ergo ſequitur Confeſſarium excipientem Confeſsiones illorum teneri interrogare & inſtruere de his pænitentes, vel ſaltem propoſitis illis, & elicito aſſenſu fidei exigere propoſitum diſcendi. Maior probatur ex communi fere ſenſu Theologorum apud Sanchez lib. 2. cap. 3. n. 21. Azor, alioſq; paſsim. Confirmatur. Quia Confeſſarius eſt Iudex, ergo ſuppoſita rationabiliter hac ignorantia debet inquirere, an ſit vincibilis & peccaminoſa, vel inuincibilis & non peccaminoſa, vt ſic ſtatum pænitentis aliunde veriſimiliter notum melius intelligat, & non cæco modo abſoluat. Sicut ſi fama loqueretur pænitentem eſſe adulterum, nonne Confeſſarius audiens talem pænitentem interrogaret de veritate famæ, interrogando de peccato luxuriæ ſaltem in genere? Ita hic proportionaliter facere debet. Confirmatur 2do. Quia eo tempore quo ignorans optime diſpoſitus eſſe cenſetur ad deponendam ignorantiam, eſt inſtruendus, vel remedium eius ignorantiæ adferendum, vt patet ex terminis, & obligatione Caritatis; ſub tempus autem Confeſſionis optime cenſetur eſſe diſpoſitus pænitens ad ignorantiam depellendam, remediumq; ſuſcipiendum. Quia magis apprehendit quiſq; obligationem de qua monetur in Confeſsione, quam alibi. Tum quia alio tempore interrogatus idiota, vel non reſponderet interroganti Sacerdoti, vel facilius mentiretur ſe ſcire. Quod vero ſit ſufficiens fundamentum præſumendi de plebe rudi talem ignorantiam; probatur. Quia vt plurimum & com-

muniter experientia & voce communis famæ teste nesciunt. Quid sit Sanctissima Trinitas, vel quis sit IESVS, vel quid sit Eucharistia, &c.

DICES 1. Moraliter loquendo difficile est in Confessionibus hæc examinare, præsertim in concursu populi. Paucorum enim possent expediri confessiones. ℟ 1. Satius est paucos legitime & cum fructu expediri, quam multos non adhibitis modis & interrogationibus. Præsumptâ enim & suppositâ rationabiliter in pænitente ignorantia, tenetur vt dixi, inquirere Confessarius, an sit vincibilis vel inuincibilis, seu an sciuerit pænitens se peccare per illam vel non, alias Officio Iudicis, & Confessarij recte non fungetur, à quo verisimiliter pænitens præsertim rudis ex plebe optat interrogari, & suppleri defectus, si qui forte interuenerint. ℟. 2do. Si interrogentur, hæc saltem tria potissimum quid sit Sanctissima Trinitas? Quid IESVS Christus? Quid Eucharistia? & eliciantur actus fidei circa hæc, exigaturq; propositum ediscendi & interrogandi ab alijs peritioribus, non multum in his tempus consumetur. ℟. 3tio. In concursu populi poterunt omnibus adstantibus prius clara voce breuiter ista proponi, in confessione autem inquiratur voluntas & propositum hâs in memoriam sæpius reuocandi, ita adhuc minus temporis erogabitur.

INSTABIS. Si horum trium Mysteriorum ignorantia est per Confessarium tollenda, est etiam tollenda per eundem; & aliorum ignorantia, vt v. g. Orationis Dominicæ, Decalogi, Præceptorum Ecclesiæ, quia etiam hæc ab imperita plebe ignorantur.

tur. Horum autem doctrina ſatis multum temporis in Confeſsione erogaret. Rñdeo. Si quis multa ignorat difficile poteſt breui tempore edoceri, proinde ſaltem magis Principaliora fidei myſteria edoceatur modo ſupra explicato, reliquorum autem ſenſim ediſcendorum ſi ignorentur propoſitum eliciatur, ita ſuæ obligationi pro poſſe ſatisfaciet Confeſſarius. Deinde quoad ſubſtantiam, & craſſo modo ſeu confuſè ſciuntur hæc communiter à rudibus adultioribus. Norunt enim petenda eſſe à Deo vniuerſa corporis & animæ bona, quæ eſt ſubſtantia Orationis Dominicæ. Sciunt etiam communiter peccatum eſſe peierare, occidere, furari, non audire ſacrum diebus feſtis, non ieiunare &c. Quæ eſt præceptorum Decalogi & Eccleſiæ ſubſtantia. Ita Thom. Sanchez in Decalog. Eccleſiam etiam Catholicam ſciunt quoad ſubſtantiam & craſſe. Nam etſi interrogati explicare per ſe neſciant quid ſit, ſi tamen interrogentur, an poſsit aliquis ſine fide Chriſtiana & per orbem diffuſa, quæ proponitur à Prælatis ſpiritualibus, & à ſummo Pontifice ſaluari, conſtanter negant: quod ſatis eſſe videtur ad ſcientiam confuſam & quoad ſubſtantiam.

Instabis 2do. Etiam illa tria principalia myſteria ſciuntur communiter à ruſticis quoad ſubſtantiam, ſeu craſſo modo & confuſe. Incredibile enim videtur, vt educatus inter Catholicos neſciat quoad ſubſtantiam quid ſit Sanctiſsima Trinitas. Quid Iesvs Chriſtus? Quid Euchariſtia? ſufficiat autem etiam hæc ſciri à rudioribus quoad ſubſtantiam, ſeu craſſe & confuſe, id eſt ita vt interrogatus rudis. Quid ſit

Sanctiſsima Trinitas v. g. neſciat quidem ipſe per ſe explicare, ſed ſi quæratur: Sanctiſsima Trinitas eſtne Deus Pater, & Filius Dei, & Spiritus Sanctus, vnus Deus non plures Dij? norit recte aſſeuerare, nec ſe patiatur diuerſum aut oppoſitum illi dicendo decipi. Non abſimili modo quam cum interrogatur erudibus quiſpiam. Quid ſit homo? neſcit quidem per ſe explicare, interrogatus tamen an ſit res ſenſus & rationem habens, ſcit rectè affirmare. Simili plane euentu. Quid ſit IESVS? neſcit per ſeipſum ruſticellus eloqui, ſi tamen interrogetur IESVS Chriſtus eſtne Dei Filius, homo propter noſtram ſalutem factus, ſimulq; Deus & homo, paſſus &c. Senſum ſuum rectum profert. ℟. Quidquid ſit de hoc an ſufficiat tanta tamq; Principalia fidei myſteria craſſo tantum modo ſcire & confuſe, pluribus non diſputo, quàm quod credenda eſſe explicite necesſitate ſaltem præcepti communis fere concludat Theologorum opinio. Item quidquid ſit an ſcire craſſo modo & confuſe, ac quoad ſubſtantiam intelligatur tali modo, quo explicat obiectio. Certum eſt à rudibus hæc tria myſteria paſsim & communiter neſciri etiam eo modo qui præſcribitur in argumento obiectionis. Nam ſi ais ajunt, ſi negas negant, non aliter quam pueri, ſi album à parente audiant, album affirmant, ſi nigrum, etiam reſpondent nigrum. Deinde ruſticelli ſi interrogentur quid ſit homo ſaltem contrarium non reſpondent, ſi verò interrogentur de his myſterijs, contrarium fidei adferunt, quomodo itaq; de talibus ſupponendum, quod ea norint quoad ſubſtantiam, ſi oppo-

positum substantiæ illorum affirmant. Insuper si talis ignorantia ab authoribus doctissimis (vide Thom. Sanch. aliosq; hoc loco) adscribitur rusticis Hispanis aut Italis, ego Polonæ plebi eandem adscribere non audebo? Felicem arbitror qui hæc sciri communiter à plebe expertus est, me esse alterius fortunæ & experientiæ non diffiteor.

Dices 2do. Præsumi potest quod in rudibus hæc ignorantia sit inuincibilis, & non peccaminosa formaliter. Ergo possunt relinqui in hac ignorantia à Confessario, præsertim in ignorantia horum quæ sunt scienda necessitate solius præcepti. Consequentia probatur. Quia permittere ignorantiam non peccaminosam seu inuincibilem non videtur esse illicitum. Antecedens probatur. Quia rudes communiter non confitentur hanc ignorantiam; ergo apparet quod putent se non peccare per illam, vel nesciant esse peccaminosam, alias supponerentur nolle recte confiteri, si non faterentur ignorantiam, quam scirent esse peccato infectam. ℟. 1. Multi grauissimi Doctores sentiunt non dari ignorantiam inuincibilem mysteriorum fidei inter fideles, præsertim celebrantes toties festa in articulis fidei contenta, sed esse vincibilem & peccaminosam vel ob negligentiam in inuestigando quid sibi velint hæc festa, vel alias ob causas. Ita S. Thomas. D. Bonauentura. Durandus, Gabriel &c. citati à Sanchez. Neq; obstat quod non confiteantur hanc ignorantiam; quia sæpe alias homines difficulter confitentur, etiam quæ putant & sciunt esse peccata, ex defectu examinis & reflexionis supra peccata sua.

℟. 2do.

℟. 2do. Esto hæc ignorantia esset inuincibilis, adhuc Confessor, cum sit non tantum Iudex sed & Magister pænitentis secundũ doctrinam communem, tenetur illam tollere eo modo quo potest, vel per instructionem breuem, vel per exercitium actuum necessariorum fidei, exigendo simul propositum de ediscendis hisce mysterijs. Officium enim est Magistri docere etiam ea, quæ à discipulo subijciente se Magisterio suo, siue vincibiliter siue inuincibiliter, vel clarius, siue voluntarie, siue inuoluntarie ignorabantur in illa arte cuius est professor. Et quis quæso approbaret talem Magistrum, qui ignorantem discipulum, optantem tamen doceri & instrui non doceret eo præsertim tempore, quo discipulus optime dispositus videtur ad doctrinam suscipiendam: sicut rudis plebs præsumitur velle doceri in Confessione, immo & gratias agit pro instructione accepta in eadem; & tunc videtur esse optime disposita ad hanc breuem & vtilissimam doctrinam. Permitti ergo ignorantiam & errorem ab eo qui tenetur ex officio illum abigere est illicitum.

Dices 3tio. Frustra à rudibus exigendum est propositum addiscendi Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Eucharistiæ & Incarnationis Domini, seu quid sit Iesvs Christus. Nam quia hæc communiter nesciuntur, vt supponitur, vnde addiscent, & moraliter difficile est vt ipsi inquirant ab alijs, vel ob pudorem, vel ob defectum Instructorũ. ℟ 1eo. Si Confessarius videat impotentem ad restituendum furtum pænitentem, adhuc tenetur elicere ab illo conditionatum propositum restituendi si posset, vel

vel vbi poterit. Ita quoq; hoc in passu faciat. Hunc autem saltem fructum adferet sic elicitum propositum, vt magis apprehendat rudis obligationem hæc sciendi.

Ex dictis COLLIGE. Si curaretur ab ijs quorum interest, vt praxes aliquæ ex his vel alijs, quæ sunt efficacissimæ essent in vigore & obseruantia, possent Confessarij facile præsumere non reperiri ignorantiam necessariorum mysteriorum in plebe, eaq; ratione ab isto onere inquirendi de illis liberarentur. Vestra diligentia ô peruigiles animarum custodes imploratur à Confessarijs.

DECIMA TERTIA PRAXIS.

DEsumitur ex literis Anni *1660.* processus circularis Illustrissimi ac Reuerendissimi Antistitis Cracouiensis superius quidem iam nominati, sed iterum atq; iterum meritò nominandi Rñdissimi Dni Andreæ Trzebicki, quibus zelose prout legenti literas patet ordinauit, vt in Ecclesijs Parochialibus Diebus Dominicis & Festis, ante sacrificium Missæ Doctrina mysteriorũ fidei rudibus proferatur, non Concionatorio modo sed Dialogistico, scilicet quæstiunculis à Catechista instituendis, responsisq; per se, vel per pueros prius instructos dandis. Ita facilius in aures animosq; rudium influit sermo. Præterea mire afficiuntur parentes cum pueri illorum instructi laudantur publice, vel munusculo aliquo licet exiguo præmiantur. Et hæc est genuina & propria ratio Catechizandi, in Collegijs quidem Socie-

tatis IESV horis pomeridianis vsitata; in parochialibus propter distantiam hominum conuenientium, aliaq; incommoda mane fieri ab Illustrissimo ac Rndissimo Dno præcepta. Optima sane industria auocandi sic populum ab illo otio & tædio tunc temporis oboriente, dum alij tardius venientes ad Ecclesiam expectantur, ad quod tædium leuandum sæpe scurrilitates, ioci, clamores in cæmiterijs vel Ecclesijs excitantur, ita vt possit dici cum Apostolo: *1. ad Cor. 11.* aliquantum immutatis verbis: Conuenientibus vobis in vnum iam non est Dominicam cænam expectare, nunquid domos non habetis ad confabulandum, &c.

DECIMAQVARTA PRAXIS.

CVm visitat singulas domos strenam accepturus Sacerdos, longe digniorem ipse adferat suis Parochianis, nimirum pueros illorum saltem breuiter instruat, qui sub tempus strenæ ob frigidiorem auram domi continentur, alias sub æstatem vel pascunt greges, vel facilius se abscondunt. Opportunissimum ergo tempus id erit (quod etiam speciali mandato Anno 1660. edito, omnibus curatis Diœcesis suæ Illustrissimus ac Rndissimus D. Andreas Trzebicki Episc. Cracouiensis designauit) vt sub prætextu instruendorum puerorum, ipsi etiam parentes præsentes instruantur, & scientia mysteriorum illis apprime commendetur. Actus quoq; contritionis, illiusq; substantia & efficacia, &c.

DE-

DECIMAQVINTA PRAXIS.

PAuperes ostiatim mendicantes dum petunt stipem, recitent clarâ voce Orationem Dominicam, Decalogum & Principalia fidei mysteria. In partibus quibusdam Vilnensis Diœceseos, (vbi incursum hostium Suecorum Hungarorum, Cosacorum iunctis viribus Poloniam vastantium Dei gratia & patrocinio Perillustris ac Magnifici Domini Felicis Sigismundi Paris Capitanei Cerscensis feliciter euitaueram, cuius beneficij mentio breuiter facta diuturnioris gratitudinis sit tessera. Vidi modum hunc laudabilem vt pauperes formam & signum emendicandi eleemosynam adhiberent, non pronuntiando tritam illam formulam, scilicet In nomine Domini eleemosynam rogo, sed loco huius aut aliarum Cantilenarum Orationem Dominicam recitando, eandemq; accepta stipe iterum distinctis proferendo verbis. Quod nostratibus etiam mendicis ex ambona, populoq; vt id exigatur ab illis persuadere vtilissimum est porrecta illis stipe. Nec video cum in finibus illis hæc praxis seruetur, cur in Polonis seruari nequeat, nisi rudiorem his mentem adscribere velis. Vt vero ignorantiæ mendicorum facile consulatur, ante vel post cantum S. Adalberti Archiepiscopi Gnesnensis à pauperibus de Deipara cani solitum in Ecclesijs Parochialibus commode recitabitur clara voce ab vno ex illis edocto, vel à scholari aliquo Oratio Dominica, Decalogus, Professio mysteriorum infra posita, Actus contritionis, &c. alijs mendicis correspondentibus simili-

liter clara voce. Allici autem poterunt data ideo illis eleemoſyna. Similis recitatio orationis Dominicæ ac profeſsionis fidei actuſq; contritionis, conuenientiſsimè fieret in Collegijs Societatis per pauperem ſtudioſum, dum ad portam aliquæ victus portiones pro more diſtribuentur tam ſtudioſis quam alijs mendicatò viuentibus. Idq; iam vidi anno ſuperiore vſpiam deductum ad praxim.

DECIMASEXTA PRAXIS.

SVggerit cum datur viaticum aut extrema vnctio breuiſsime dicta ratione viatici & extremæ vnctionis, recitare cum infirmo alijſq; aſsiſtentibus, profeſsionem articulorum fidei cum actu contrictionis inferius poſitum. Nam vt fides tunc exerceatur, etiam Cereus pro feſto Purificationis Beatiſsimæ Virginis benedictus admonet, qui ſub id tempus accenditur & traditur infirmis inter alia in ſignum proteſtationis fidei & Caritatis in Deum; quod infirmis explicandum clare.

DECIMASEPTIMA PRAXIS.

SVpplicationem porrigit Illuſtriſsimis & Reuerendiſsimis Epiſcopis, vt pro ſua poteſtate & paterna in gregem ſuum prouidentia, ſerio vel ſub pænis etiam arbitrarijs iniungatur per edictum generale obſeruatio perpetua primæ præſertim & ſecundæ Praxeos, vel alicuius alterius, ſi videtur efficacior. Hæc eſt enim humanæ naturæ fragilitas vt facilius formidine pænæ, quam aut obtentu meritorum

apud

apud Deum aut Indulgentiarum aliquando verò etiam magis mulcta pecuniæ quã censuræ moueatur. At neq; id ex meo sensu prolatum esse velim, opinionem tantum authorum adduco, qui censuris posse compelli subditos, vt discant Christianam doctrinam & Parochos, vt eam interrogent asserunt. Ita Perez, Sanchez, Manuel, &c. O Illustrissima Ecclesiæ lumina, vobis implicita tenebris ignorantiæ fides supplicat, vestram lucem appellat, vt splendore illius illustretur, exanimis velut & emortua vestro spiritu excitetur; sic in animos plebis infusa fides plusquam illustrissima vobis faciet nomina, splendidissimos cælo augebis titulos. Imperium vestrum superabit efficaciam allatarum Praxium, velle vestrum dissoluet nodos quarumcunq; in promouenda Doctrina Christiana difficultatum. Omnes omnino hæ propositæ praxes & modi, sine vestro Imperatiuo modo, coniunctionem primorum principiorum & elementorum fidei in animis rudibus anomalam patientur. Deniq; vt altiori allegoria vtar per horum aliquem modum notitiam articulorum fidei, cum memoria inculti gregis vniri facile aduertetis; & sic informis hæc materia, intellectus nempe rudis vulgi Diuinæ fidei formâ informabitur, transibitq; à turpissima priuatione explicitæ fidei ad esse credentis, fidemq; debitam profitentis.

PROFESSIO FIDEI

Cum rudibus recitanda hoc vel simili modo.

Mowcie zá mną

WYZNANIE TAIEMNIC

Do Wiáry ś. Kátholickiey y do wiádomośći wiernych bárzo należyte, ták dálece, że ktoby niechćiał sie náuczyć y wiedźieć, przynamniey osobliwych y przednieyszych, ten by sobie ná vtrátę zbáwienia wiecznego tym sámem łátwo mogł zárobić.

1. WIerzę że TROYCA Swietá iest Bog Oćiec / Syn Boży / Duch świety / trzy osoby á ieden tylko Bog.

2. Wierzę że Bog ktory iest we trzech osobách ieden / złych ogniem wiecznym w piekle karze / á dobrym w Krolestwie niebieskiem żywot wieczny dáie.

3. Wierzę że IESVS Chrystus iest Syn Boży / ktory dla nászego zbáwienia zstał sie człowiekiem / narodźił sie / vmárł y zmartwychwstał. Ten iest oraz Bogiem y człowiekiem / sądźić bedźie żywych y vmárłych.

4 Wierzę że DVCH świety iest trzećia osobá TROYCE świetey / ktory pochodźi od Bogá Oycá y od Syná Bożego / y iest Bog rowny Bogu Oycu

y Sy-

y Synowi Bożemu. Tenże DVCH święty w dźień Swiąteczny zstąpił ná Apostoły w ięzykách ognistych.

5. Wierzę że w Náświętszym SAKRAMENCIE iest Ciáło y Krew P. Jezusá Chrystusá Syná Bożego.

6. Wierzę że w Kośćiele świętym Kátholickiem iest śiedm Sákrámentow / to iest śiedm znákow ábo sposobow ktoremi ludźie łáski Bożey dostępuią. A te Sákrámentá są Chrzest / Bierzmowánie / Spowiedź / Náświętszy SAKRAMENT Ciáłá y Krwie Chrystusowey / Kápłáństwo / Małżeństwo / ostatnie Oleiem świętym pomázánie.

7. Nádostátek wierzę y wyznawam wszytko cokolwiek Kośćioł święty Kátholicki roskázuie y podáie do wierzenia / ktory to Kośćioł prawdźiwy iest zgromadzenie ludźi wiárę Chrystusową wyznawáiacych / pod władzą y zwierzchnośćią Rzymskiego Biskupá y Papieżá zostáwaiących.

Vt alliciatur populus ad ediſcenda alioſque docenda hæc myſteria, poteſt illis proponi Indulgentia hæc.

ODPVST.

Tym ktorzy náuczáią Táiemnic Wiáry świętey pozwolony od Oycá ś. Grzegorzá XV.

Wszyscy y káżdy z osobná Oćiec y Mátká / Gospodarz y gospodyni / ktorzyby w domách swych dźiatkom / czeladźi / ábo domowym náukę Chrześćiáńską wykłádáli / ileby kroć to czynili sto dni odpustu otrzymáią. Oprocz tego w świętá Vroczyste pospolićie y słucháiacy y náuczáiacy náuki Chrześćiáńskiey odpustu zupełnego dostąpić może. Quod patet

ex dictis supra post numerum 6. Indulgentiarum. Istis enim diebus celebrioribus ratione Stationum communiter Indulgentiæ Plenariæ conceduntur, instructoribus & auditoribus doctrinæ Christianæ, vide loco citato.

Alliciendus etiam vel ex eo est populus ad hanc Professionem, quod plurimis ex plebe sint, qui etsi dicant Symbolum Apostolorum, illud nihilominus recitant instar psittacorum, nescientes respondere. Quid sit Sanctissima TRINITAS. Quid sit IESVS Christus &c. quod contra mentem Christi & institutum Apostolorum esse clarum est, ideo enim ab illis Symbolum compositum est, vt explicitam fidem Mysteriorum Principalium scientiamq; hominibus facilius & summatim ingererent. Ex descripta vero professione fidei, si cum populo lente ac distincte recitetur, responsio ad interrogationes de articulis clarius patebit, fientq; de psittacis tantummodo garrientibus, homines aliquatenus intelligentes.

Dicto cum plebe istiusmodi Exercitio fidei, posset addi actus contritionis breuiter v. g.

A przy tym wyznániu mojim żáluie Boże moy żem ćie kiedykolwiek obrażał/ á dla tego żáluie/ żeś ty iest/ dobry y nieskończenie dobry/ á ia ták dobrego obrażałem/ Niechce ćie wiecey ták dobrego Paná obrażáć/ ktorego miłuie y przekłádam nád wszytkie dobrá iáko naywiększe dobro chcę sie spowiádáć grzechow moich. Boże badź miłośćiw mnie grzesznemu.

Commendatio Actus Contritionis vtilitas & Efficacia illius intimanda sic v. g.

Thá-

Tákowy żal zá grzechy iest ták pożyteczny y skuteczny / że człowiek w grzechách śmiertelnych bedacy / máiac ten żal prawdziwy / á nie mogac mieć Kápłáná przy śmierci ktoremu by sie spowiádał / może być zbáwiony. Pożyteczny iest przeciw nagley śmierći / to iest żeby ćie śmierć nagła w grzechu śmiertelnym nie zastáłá. Dla tego słuszna rzecz często go záżywáć / gdyż nie wiemy dniá áni godźiny / á miánowićie idac spáć / álbo bedac w iákiem niebespieczenstwie. Zgołá człowiekowi grzesznemu naypilnieysze y naypotrzebnieysze iest to nabożenstwo Akt skruchy / zá ktory Bog mu zupełny odpust grzechow dáie / odpuszczáiac mu / wszytkie winy grzechowe / á káránie zá grzech ieżeli nie odpuszcza cáłego / tedy wieczne w doczesne odmienia. Tá iest náuká pospolita Kośćiołá ś. Katholickiego. Wielki záprawde odpust / wszytkie inne odpusty od Kośćiołá świetego Katholickiego pozwolone przechodzacy. Szczesliwy ktory tego nabożenstwá często á prawdźiwie záżywa / ták żeby sie z vstami / y iezykiem serce zgadzáło.

Quod si alicui placuerit longioribus eundem actum contritionis, vel rythmicis proferre verbis, sequentibus vti poterit formulis.

Pánie Boże moy wierze y wyznawam żeś iest dobry y nieskonczenie nád wszytkie inne dobrá naylepszy. Miłuie ćie / szácuie y przekłádam nád wszytkie pomyslne dobra stworzone / bo nád wszytkie naygodnieyszym iesteś miłośći. Żáłuie żem ćie kiedy obraźał / á dla tego żáłuie / żeś ty iest nieskonczenie dobry / a ia ták dobrego / obrażałem. Choćbyś mnie Pánie moy nie karał zá grzechy moie żadnym karániem /

 prze=

przećie iednák żałowałbym zá nie dla tego sámego/ żem dobroć twoie niesłonczoną obrażał/ y teraz dla tego sámego serdecznie żáluie zá grzechy moie. Brzydzę sie wszytkiemi grzechámi memi. Niechce ćie więcey ták dobrego Páná obrażáć. Chce sie spowiadáć grzechow moich. Boże bądź miłośćiw ꝛc.

ACTVS CONTRITIONIS rythmice expressus.

BOże w dobroći nigdy nieprzebrány/
Zadnem iezykiem niewypowiedźiány/
Ty iesteś godźien wszelákiey miłośći/
Poszánowánia/ chwały/ vczćiwośći.
Ciebie chce/ prágne/ y waże sámego
Nád wszytkie dobrá/ tyś v serca mego/
Naywiekssze dobro/ tyś w naywyższey cenie
Sam ieden v mnie/ nád wszytko stworzenie.
Chocbyś mnie nigdy zá grzechy moy Pánie
Nie karał/ przećie żałowałbym zá nie.
A żáłowałbym dla tego sámego/
Zem ćie obráźił Páná ták dobrego.
Wiec o moy Boże y teraz żáłuie/
Dla tego że ćie nád wszytko miłuie.
Y to v śiebie státecznie stánowie/
Ze grzechow moich więcey nie ponowie.
Mam mocną/ wolą/ spowiadáć sie szczerze/
Y záwsze trzymáć z tobą/ to przymierze.
Co gdy vczynie spodźiewam sie ćiebie
Widźieć z rádośćią y żyć z tobą w niebie.
O Boże dobry/ Boże litośćiwy
Chćiey być mey dusz nedzney miłośćiwy/ Amen.

Actus contritionis Polonicus præterquam vt canatur intra vel extra tempus Missæ, vel vt recitetur simul cum alijs in 2da praxi enumeratis; Bonum est vt vel descriptus vel impressus cum explicatione substantiæ illius & efficaciæ, offeratur loco imaginum his qui norunt literas, cum maximam primamq; peccatori ingerat deuotionem. Potest addi vel præmitti in eadem charta professio articulorum fidei superius notata, cum Indulgentia sibi adiuncta.

TRIPLEX MEMORIALE, SEV CONSIDERATIO TERNA.

IN honorem Sãctiss. Trinitatis recolenda ab ijs potissimum qui curam animarum ac Ecclesiarum administrant. Quæ cum legentibus scripta placuerit, prælo etiam ad placitum eorum subiecta, præsertim cum spiritum quoq; Catechisticæ doctrinæ, vltimo saltem puncto incendere possit.

Primo. Meminerit ac consideret is qui tali potitur munere simul ac onere, se esse sponsum suæ Ecclesiæ, proinde illius bonum, decorem ac ornatum solicita procuret opera, iura dotemq; defendat, non minus quam sponsi huius sæculi, suarum temporalium sponsarum, cum sponsa hæc spiritualis, dignitate longe illas antecedat. Deus bone quantam solicitudinem sponsi, secundum leges & regulas mundi adhibent ad exornandas suas sponsas? quantis illis ideo non parcunt sumptibus, vinci ab illis pudor, non esse æmulum in meliori zelotypia ignominiosum. Præter hæc iniquum videtur, vtinamque non

non inueniatur, vt qui Ecclesiæ beneficio gaudet, ad Ecclesiæ suæ commodum nihil conferre velit, sed aliorũ manum expectet, non absimilis illi, qui cum hæredis bona occupet; illum tamen velit aliena viuere quadrâ.

Secundo. Meminerit ac recogitet se esse Rectorem Ecclesiæ, ac veluti Patremfamilias, proinde illius ordini attendat, tam in mobilibus, quam immobilibus quæ occupat bonis. Elucet hic ordo potissimum, in bene accurateq; componendis rebus, ac supellectili Ecclesiastica. Mundities earum est signum quoddam sensibile huiusce ordinis: Cum enim ab hospitibus aduenientibus aduertitur bene composita rebus suis, mundaq; Ecclesia, facilè concluditur ab ijsdem, exactum in alijs esse illius moderatorem. Turpe verò visu & auditu est, cum apparatus sacrosanctæ Missæ Sacrificio seruiens, maculis aspersus, lacer, scissurisue plenus adhibetur. Cum purificatoria aliaq; linteamina sacra purificationẽ sui reparationemq; clamant, nec exaudiuntur: cum pro materia Sãctiss. Sacrificij, panis ex furfure plane confectus, vinum autem sumentem remordens, quodq; ad mensam refectionemq; corporalem honestorum hominum adhiberi dedecoris esset aſfernetur. Celebraturus in talibus hospes ad indignationem, omissionemq; Missæ facilius excitatur. Certe ad reuerentiam cultumque Sanctiss. Eucharistiæ id etiam pertinet, præter animum à peccatis gratiam Dei excludentibus liberum corpusq; à sordibus & vnguibus tersum, illam tum in materia secundum communem vsum, hominum honestorum refectioni

ni congrua, tum in ſupellectili, veſtimentis, linteaminibus, vaſiſq; lautis, huic tam immaculatæ hoſtiæ immolandæ neceſſarijs conficere; Immaculatam hoſtiam in offertorio fateris, at modo & circumſtantijs agendi negas, dum illam velut minus puram tractas. Conformiter certe rectæ rationi concludunt Theologi morales eſſe peccatum, tam ex irreuerentia in Sãctiſs. Euchariſtiam, quam ex ſcandalo aliorum proueniens, dum aliquis ſine munditie, & conuenienti decentia externa, ſcilicet non tantum animi, ſed & corporis ac veſtium ſacrarum Miſſam peragere attentat. Ita Syluester alijq; vt melius legentibus patebit. Inſuper ſi cibum, panemq; terrenum edere manibus illotis, & luto illitis, mappis fæde aſperſis in præſentia aliorum honeſtorum, contra ciuilitatem morum eſſe cenſetur, quanto maius erit dedecus, maiorq; inurbanitas, panem ſanctiſsimum manu ſpurca, & vnguibus ſcabrâ ac abominabili tangere, apparatu immundo excipere, in materia vſui profano inepta conſecrare.

Tertio. Meminerit ſe eſſe Paſtorem ac Patrem gregis à Deo ſibi commiſsi. Ergo animum, pectus, ac vultum titulo huic conuenientem induat. Boni Paſtoris & animas errantes in moribus, in articulis fidei (quale eſt paſsim rude vulgi pecus) ad viam virtutis & veritatis adducere. In neceſsitatibus ſpiritualibus promptitudinem præ ſe ferre, tam verbo, ſæpe id pro concione, alijſq; occaſionibus manifeſtando: tam effectu pijs illorum petitis ſatisfacere non abnuendo, affabilem ſe non aſperũ verbis præſtando, ad infirmos accedere etiam ſine mercede

minime recuſando, immo de infirmis ſponte inquirendo. Retrahuntur pauperes parochiani ſæpe à ſuſcipiendis etiam in articulo mortis Sacramentis ob carentiam mercedis Sacerdoti aduocando, omnino ſecundum perſuaſionem rudium fere communem dandæ. Vtinam autem ſine fundamento ſit hæc in illis apprehenſio eiuſq; anſam aliqui non porrigant, vel ex hoc non paſtorum ſed mercenariorum nomine vocandi. Boni Paſtoris ſolicitudo non permittit, vt plebs tam ſiniſtro ſenſu laboret, quem ſtirpitus ex animo illius euellendũ omnimode conari debet. Suggeret autem modum illa illa ô quam pergrata gregi Paſtoris vox, cum is promulgat ex Cathedra, ſæpiuſq; alias proclamat, ſe animabus infirmorum per adminiſtrationem Sacramentorum debere inſeruire gratis, cum arguit & increpat eos à quibus tempore periculi etiam ſub noctem occurrentis non aduocatur ad ſimilia obſequia, cum motu proprio ſciſcitatur quis è grege ſuo ſit æger, vt ei Sacramenta neceſſaria conferat, medicinamq; animæ eius ſalutarem porrigat. Tali animo ſæpius auditoribus ſuis euulgato, atque opere ipſo in huiuſmodi circumſtantijs declarato, liberat ſe facile Paſtor de reddenda Deo ratione animarum ſine Sacramentis decedentium contra tam expreſſam voluntatem ſuam paratam ad illa miniſtranda. Deinde præter multorum meritorum amoriſq; apud Deum theſaurum congregandum, ex tam pleno charitatis pectore veluti fonte, bonæ etiam famæ ac æſtimationis apud homines largiſsimi emanabunt riui. Deniq; ſummũ ad hæc ſtrenue præſtanda incentiuum attulit Prin-

ceps

ceps Apostolorum inquiens 1. *Petri* 5. Pascite qui in vobis est gregem Dei prouidentes non coactè, sed spontaneè, secundum Deum, neq; turpis lucri gratia, sed voluntarie, neq; vt dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps Pastorum percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Hactenus ille

Reflecte itaq; te supra te qui legis vel consideras hæc. An leges sponsi, Ecclesiæ, Rectoris, Pastoris seruaueris? Quantum ad decorem illius ornatumq; procurandum hactenus contuleris? Quidnam pro supellectile sacra, vel mundo Ecclesiæ erogaueris? Quot rudes ad notitiam articulorum fidei & scientiam reduxeris? Quomodo & in quibus ab officio tuo deflexeris. Quo vultu Principi Pastorum Christo hic & nunc obuiares? Ibis autem obuiam crasne an citius, siue posterius nescis, pro certo tamen breui euocaberis. Confidis viribus tuis, at robustiores mors inopinata deiecit, nec tamen sapis malo aliorum, passim sine dispositione non tantum rerũ temporalium, sed etiam animæ decedentium. Quid igitur tu expectas? quid moras officio satisfaciendi tuo, alijsq; pijs operibus de Deo in vita optime merendi prætendis? fac citius te Christo tuaq; traditurus, qui se per Iudam pro te tradi citius exoptabat. Post reflexionem hanc si quid culpæ inueneris remedium debitum elicito firmo non verbali tantum emendationis proposito adhibe.

Ad triplicem hanc considerationem (quam quibusdam placuit vocari TRIPLEX MEMENTO) pie maiorisq; cum sensu deuotionis absoluendam, plurimũ iu-

iuuant Homiliæ illæ aureæ, ferreoq; ſtylo cordibus imprimendæ legi ſolitæ, infra octauam S. Adalberti Epiſcopi & Martyris Regniq; Poloniæ Patroni. Item infra octauam S. Staniſlai die 6. Homilia in feſto S. Gregorij Papæ, 12. Martij. Item Homilia in feſto S. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi & Martyris 29. Decemb: Lectiones item 1. Nocturni de Communi Confeſſoris Pontificis, multa enim ibi de Epiſcopo dicta, recte poſſunt Paſtori animarum cuiq; applicari. Huic propoſito ſeruit etiam vita S. Caroli Borromæi, quem Paſtoralis ſolicitudo (teſtante Eccleſia in eius collecta) glorioſum reddidit.

Pium zeloſumq; Paſtorem ad horum frequentem, non leuiter oculiſue ſolis reuiſam, ſed ſeriâ trutinatam mente lectionem remitto. Quiſquis non perfunctoriè relegerit, & ſaltem ſemel in hebdomada die v.g. Dominico Sāctiſs. Trinitatis colendæ gratia, hoc triplex Memento ſedulò in memoriam reuocauerit, ſentiet affectum, & quod Deus faxit bonum præſtabit effectum. Adiungo D. Gregorij hom. 17. in Euangel. oratiunculam huic effectui perneceſſariam. Deus qui nos Paſtores in populo vocari voluiſti, præſta quæſumus; vt quod humano ore dicimur, in tuis oculis eſſe valeamus.

Hanc Orationem quiſq; è Clero, ſiue ſæculari, ſiue regulari, poterit ſuæ vocationi facile accommodare.

Dubitauit aliquis 3tij puncti ſerius contemplator.

AN proprio equo aut curru Paſtor teneatur diſce-

ſcedere ad infirmum in extrema neceſsitate ſpirituali poſitum, nec habentem, quo Confeſſariũ abſolutionis & viatici ſuſcipiendi cauſa, aduehi ſibi procuret? Reſponſum eſt, Teneri. Ratio eſt quia ordo Caritatis proximi id exigit, vt damnum & periculum æternæ damnationis proximi, præferamus damno vel incommodo noſtro temporali. Vide Theologos Morales: Nauarrum, Toletum, & alios vbi tractant de legibus, & ordine Caritatis, ex quibus id facile deduces & colliges reſponſum. Sed & ratio conuincit. Nam indignum eſt vt propter temporale incommodum anima hominis tanto pretio Sanguinis à Chriſto æſtimata in æternum pereat. Quod ſi bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis, etiamnè equum ad tempus commodare denegabit? Affirmandum autem idem puto non tantum de Paſtore, ſed & de alio quocumq; Presbytero habente equum, ſi ad obſequium vocetur proximi, alias ſine Confeſsione & contritione morituri. Caritas enim in talibus circumſtantijs illum etiam obligat, licet maiori obligatione teneri videatur Parochus. Quod ſi Sacerdos careat equo ; illi qui habent vicini, in hoc paſſu tenerentur commodare rogati. Quamobrem non prætermittendam hoc loco puto mille laudibus dignam fundationem, qua prouidetur etiam à communitate plebis parochianæ, ſi alius fundator inueniri nequeat, vt equus ſit ſemper in promptu vocando Sacerdoti, ideoq; non liceat, illum ad remotiores domo labores applicari à Sacerdote, vel quopiam alio curam illius habente. Inſigne equidem pietatis & miſericordiæ inuentum,

tum præſertim vbi longioris diſtantiæ eſt Parochia. Diſtet enim v. g. duobus milliaribus ab Eccleſia infirmus Parochianus, ruſticellus pauper aduecturus Confeſſarium, octo milliarium iter conficere debebit. Bina milliaria abeundo ad Eccleſiam domo, binarium item cum Presbytero ad cauſam infirmi, rurſus duo redux Sacerdotis, tandem duo ipſe locum ſuum vnde abierat repetens. Quiſquis miſericordiæ opera diligis, ſimilibus fundationibus animum applica longe dignioribus, quam ſi in Noſocomijs ſolam corporalem inopiam ſubleuaueris. Plurimi profecto ſunt, qui in morte ſuorum domeſticorum, parentum, maritorum, vxorum, &c. Confeſsionis omiſſæ nec ſuſcepti viatici cauſam paupertatem & defectum vecturæ aduocando Confeſſario neceſſariæ adducant, horum inopiæ tam pia medetur fundatio. Quod ſi hæc fundatio deeſt à Caritate ſuppleri debet Paſtorum aliorumq; quorumuis Sacerdotum, in tali caſu ſi non poſſunt in curribus & equis, in nomine Domini ſecundum leges prudentiæ & caritatis ire obligatorum.

COROLLARIVM
SEV
COMPENDIVM

Proponendorum rudibus frequenter in Concionibus, Catechiſmis, alijſq; occaſionibus.

1. ARticuli Fidei ſcitu neceſſarij, de quibus ſupra poſt ſeptimam praxim.

2. A-

2. Actus Contritionis cuius substantia illis explicanda, quod nimirum consistat in dolore de peccatis ob solam Diuinam bonitatem infinitam læsam proueniente cum proposito firmo emendationis & confessionis. Item necessitas Efficacia & vtilitas eius promulganda, commendationem ampliorem post professionem articulorũ descriptam iam paulo ante reperies.

3. Intimandum sæpius rudi populo est modus confitendi, seq; præparandi ad Confessionem, percurrendo Decalogum & præcepta Ecclesiæ &c. Declaretur eis quid sit Confessio? quod scilicet sit voluntaria accusatio sui ipsius coram Sacerdote. Cur fiat inualida, & quæ sint legitimæ Confessionis requisita? Edoceantur quoq; sedulo, in infirmitate graui vocemq; præcludente saltem signum Contritionis, aut expetitæ Confessionis esse ostendendum, etiam non præsente Sacerdote, vt is vbi aduenerit habere testimonium de tali signo, absolutionemq; impendere possit.

4. Vt sciant Formam baptismi in periculo pueri alias sine baptismo morituri applicare, & quod possint, immo & teneantur ipsi etiam parentes in tali necessitate baptizare, sine vllo præiudicio coniugali, vt Theologorum est opinio. Diana, Suarez citatus ab eodem & alij. Si vero puer superauerit periculum, præmoneatur Parochus de adhibito priuatim baptismo. Huius intuitu in rituali Polono antiquo præmittebatur interrogatio ab eo, qui collaturus erat baptismum, An sit puer ab aliquo iam baptizatus, puta in necessitate.

I. Su-

5. Superstitiones vulgi conscribendæ & promulgandæ vt vitentur. Si quis vel modicam de illis inquisitionem in populo fecerit, prægrandem Catalogum illarum inueniet, cum plurimæ non tantum inter rudes, sed etiam nobiliores personas inueniantur. Ego hoc loco nullas adduco, quia facile qui voluerit inuestigare poterit. Ita illi multa inutilia credunt & sciunt, quæ sunt necessario credenda ignorant.

6. Edocendi sunt modum intentionis, seu offerendi Deo opera sua breuibus verbis, protestando scilicet mane & sæpius, quod Deum nolint in actionibus & occupationibus suis offendere, sed ad eius gloriam omnes dirigere vt ita ex operibus indifferentibus, & non meritorijs facere actus assuescant meritorios. O quanta messe meritorum pauperes agricolæ gauderent, si labores, sudores, molestias incommodaq; sua huic intentioni & fini maioris Dei gloriæ accommodare scirent, scirent vtiq; si docerentur. Cum illorum laboribus cedat & meus iste exiguus.

A. M. D. G.